

induxeris, atque sic reipsa CANDIDATVM
disciplinae nostrae praestiteris, nihil veritus
subjicere Te explorationibus nostris, quas alii
nonnunquam meticulose subterfugiunt. De
his itaque incrementis Tibi ex toto pectore
gratulatum eo, Deumque votis interpello, ut,
quicquid ad Tuae fortunae emendationem
pertinebit, clementer & largiter in Te confe-
rat, locumque ac materiam subministret, qui-
bus dotes Tuas hactenus non sufflaminatas aut
sepultas, sed continuis incrementis auctas,
magis commode explicare & exhibere queas.
Quod cur iterum iterumque optem, & publi-
cum bonum, quod ex pulchris ingeniis ori-
ri potest, & privatae necessitudines abs me
haud difficulter impetrare possunt. Dabam
Vitembergae die X. Septembr. A. O. R.
M DCC XII.